

immodicam virus ac pestem publicam nominabat, praecipue forensem industriam. Agraribus plane ac rusticantibus, quod ab eo genere ortus altusque erat, satis utilis ac militiae custos ad veterum instituta severissimus. Spadonum et aulicorum omnium vehemens domitor tineas soricesque palatii eos appellans.

At Constantinus obtento totius Romani imperii mirabilium bellorum felicitate regimine Fausta coniuge, ut putant, suggerente Crispum filium necari iubet. Dehinc uxorem suam Faustam in balneas ardentis coniectam interemit, cum eum mater Helena dolore nimio nepotis increparet. Fuit vero ultra, quam aestimari potest, laudis avidus. Hic Traianum herbam parietariam ob titulos multis aedibus inscriptos appellare solitus erat. Hic pontem in Danubio construxit. Habitum regum gemmis et caput exornans perpetuo diademate. Commodissimus tamen rebus multis fuit: calumnias sedare legibus severissimis, nutrire artes bonas, praecipue studia litterarum, legere ipse scribere meditari audire legationes et querimonias provinciarum. Cumque liberis filioque fratris Delmatio Caesaribus confirmatis tres et sexaginta annos vixisset, ex quibus dimidius ita, ut tredecim solus imperaret, morbo consumptus est. Irrisor potius quam blandus. Unde proverbio vulgari Trachala, decem annis praestantissimus, duodecim sequentibus latro, decem novissimis pupillus ob profusiones immodicas nominatus. Corpus sepultum in Byzantio, Constantinopoli dicta. Quo mortuo Delmatus militum vi necatur.

Ita ad tres orbis Romani redacta dominatio est, Constantinum et Constantium ac Constantem, filios

□